

Audiamus ne forte consoletur, erigat, det spem, ne deficiamus in via. Currimus enim, et ad patriam currimus ; et si nos perventuros desperamus, ipsa desperatione deficimus. Ille autem qui nos vult pervenire, ut conservet in patria, pascit in via. Audiamus ergo : *Quod si dixerimus quia societatem habemus cum eo, et in tenebris ambulamus ; mentimur, et non facimus veritatem.* Non dicamus quia societatem cum illo habemus, si in tenebris ambulamus. *Quod si in lumine ambulamus, sicut et ipse est in lumine ; societatem habemus cum invicem.* In lumine ambulemus, sicut et ipse est in lumine, ut possimus societatem habere cum illo. Et quid facimus de peccatis ? Audi quid sequitur : *Et sanguis Jesu Christi Filii ejus purgabit nos ab omni delicto.* Magnam securitatem dedit Deus. Merito Pascha celebramus, ubi fusus est sanguis Domini, quo purgamur ab omni delicto. Simus securi : cautionem contra nos servitutis diabolus tenebat, sed sanguine Christi deleta est. « Sanguis, inquit, Filii ejus purgabit nos ab omni delicto. » Quid est « ab omni delicto » ? Adtendite : Ecce jam in nomine Christi per sanguinem ejus, quem nunc confessi sunt isti qui appellantur « infantes », mundata sunt omnia peccata ipsorum. Veteres intraverunt, novi exierunt. Quid est : veteres intraverunt, novi exierunt ? Senes intraverunt, infantes exierunt. Senectus enim veteriosa, vetusta vita : infantia autem regenerationis, nova vita. Sed quid facimus ? Praeterita peccata donata sunt, non tantum ipsis, sed et nobis ; et post donationem et abolitionem omnium peccatorum vivendo in hoc saeculo inter tentationes, quaedam forte contracta sunt. Ideo quod potest homo faciat ; ipse confiteatur quod

